

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Italia scripserit; quod indicant prima epistolae verba, et multo etiam magis illa, quae in extremo fere sunt; *Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te*: ratio persuadet, hanc epistolam et ante secundum esse scriptam Caesaris consulatum, et ante profectiorem Ciceronis in Graeciam. *Aestimacionem* igitur accipio pro possessione aestimata, non ex lege Caesaris, quae lata nondum erat, sed ut aestimabantur res, quas inopes a pe-

cunia debitores creditoribus dabant. Sic et Liuius loco iam citato, lib. 7. c. 21. *Tarda nomina, et impeditiora inertia debitorum quam facultatibus; aut aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissoluit, ut populo prius caueretur; aut aestimatio aequis rerum pretiis liberauit.*

Scindi] Varie dixit, hic quidem *scindi*; alibi *conscindi*, ut lib. 7. epist. 18. et, *concerpito*, lib. 10. ad Attic. epist. 12.

EPISTOLAE XXI.

ARGVMENTVM.

Mescinio, sui videndi cupido, mutua se teneri cupiditate significat. subiungit haec: frequentari domum suam a Caesaris familiaribus; eorum tamen sermonibus ita se non delectari, ut solitudinem, si ea vti possit, praeponat: itaque litteras colere, et ab iis, et ab optimorum consiliorum conscientia consolationem eam petere, quam Mescinio quoque petendam censet: Africani belli exitum appropinquari: vtra pars vincat, crudelem fore victoriam: euersam funditus esse publicam fortunam: nihil tamen iis, qui culpa careant, horribile esse, aut pertimescendum. De congressu, neque spem offert, neque adimit. valetudini ut seruiat, animoque tranquillo sit, hortatur. Index benevolentiae, ac negotialis omnino epistola, licet maior eius pars officii potius, quam negotii, sit. dixi enim a principio, spectandam esse causam, cur scribatur epistola, et ab ea siue negotialem epistolam, siue moralem vocandam. nam quae adduntur praeterea, declarandi amoris gratia, licet ad officium pertineant, quia tamen argumenti propria non sunt, nomen epistolae non tribuunt. Scripta est Caesare tertium et M. Lepido coss. cum Caesar in Africa, aduersus Pompeii socerum Scipionem, et Iubam regem bellum gereret.

EXPLANATIO.

Ita mihi omnia ERN. Ita mihi communia omnia, quae opto, contingant] Verbum *communia*, video esse in omnibus veteribus libris, praeter vnum, qui fuit olim Hieronymi Ferrarii, nunc est Caroli Borromaei Cardinalis. in eo est, *commoda*, non, *communia*:

quod olim probaui: cum et Plautus in Trin. Act. 5. Sc. 1. v. 2. similiter dixisset;

Ita commoda, quae cupio, eueniunt. —

Nonnulli, *communia*, putarunt abundare. quorum non displicet opinio. ne tamen tot librorum consen-

consensus repudietur; videndum etiam atque etiam, an probabilis aliqua sententia elici possit, nullo nec deleta verbo, nec mutato. Ita mihi, inquit, ea, quae opto, contingant omnia communia, ut vehementer velim. id est: ita te rerum omnium, quas opto, participem habeam, ut esse tecum vehementer velim. nam ad verbum, *communis*, subaudio, *tecum*: ut sit: ita mihi tecum communia, quae opto, contingant omnia. Occurrit alia sententia, quam non occultare consilium est. Ita mihi res omnes publicae, quales opto, contingant. nam, *communis*, et *communes res*, pro publicis rebus accipi, nemo (ut opinor) dubitat. idque vel hoc vno constet exemplo, quod observauimus lib. 1. epist. 8. *Ex eodem de toto statu rerum communium cognoscere: quae quales sint, non facile est scribere. Communem quoque rem*, dixit lib. 7. epist. 28. *Communium fortunarum*, lib. 5. epist. 12. Hoc totum ad eruditorum hominum iudicium refero. nam ipse nihil affirmo: tantum enitor, ut veterum librorum auctoritatem conseruem.

Vt enim ERN. Etenim, cum esset maior] Aliis placet, *ut enim*, pro *etenim*: quia sic habent plerique veteres libri. soloecismi species apparet. quid refert? inquit. quam multa praeterea huiusce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque responderi videtur posse: soloecismum, si modo libri veteres in eo consentiant, ferendum: sin aliter, tollendum. itaque, cum habeam duos veteres libros, vnum M. Antonii Maffei, quo etiam olim, commodante eius fratre Bernardino Cardinali, vsus sum; alterum Ful-

vii Vrsini, in quibus diserte legitur, *etenim*: libenter aufero soloecismum, et integritatem Cicerone dignam restituo.

Et virorum, et civium bonorum] Differre putantur *bonus vir*, et *bonus civis*. quam distinctionem ostendimus lib. 1. epist. 9. in eo loco: *Eumque, quem bonum virum semper habuisset, bonum civem esse pateretur.*

Iucundorum] Bonitas, iucunditas, amor, causae sunt, cur amemus, vnaque esse cupiamus. propterea dixit, *bonorum, iucundorum, amantium mei*. quae tria coniungit etiam lib. 9. epist. 24. *Moneo te, quod pertinere ad beate viuendum arbitror, ut cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas.*

Hominum] *Vir* et *homo* differre, pauci nesciunt. hic tamen, *hominum*, potuit omitti, ut omisium est loco proxime recitato ex epistola ad Paetum, sed additum est ob interpositam civium mentionem. nam, si esset omisium, ad ciues illa referrentur, *iucundorum, et amantium mei*. cum sit aptius, *iucundorum hominum, et amantium mei*.

Erat nemo, quicum essem libentius, quam tecum; et pauci, quibuscum essem aequae libenter] Satis modesta ratio captandae benevolentiae. non enim omnibus Mescinium, sed Mescinio neminem anteferret, comparat paucos. ita vitatur illa, quae veritati fidem detrahit, *ὑπερβολή*.

Alii interierint] Insignes quidem, et consulares, M. Calpurnius Bibulus, L. Domitius Ahenobarbus, L. Cornelius Lentulus, P. Lentulus

tulus; praeterea, C. Curio tribunicius.

Alii absint] Aberant consulares duo, P. Scipio, Pompeii focer, qui bellum in Africa contra Caesarem gerebat; et M. Marcellus, qui post Pharsalicum proelium, cum spe vincendi simul abiecta certandi etiam cupiditate voluntarium Rhodi aut Mitylenis exsulum sibi delegerat. aberat et M. Cato praetorius, qui cum Scipione causam Pompeianam acerrime tuebatur. nec Romae tunc erant M. Brutus, nec Ser. Sulpicius, ille Galliae, hic Graeciae praepositus: vt lib. 6. epist. 6.

Mutati voluntate] Non eodem, quo antea, in Ciceronem animo, temporibus mutati et victoria Caesaris.

Necessario] Est enim Caesaris familiaribus inseruendum, temporis causa.

Frequentant domum meam] Sic lib. I. de Offic. c. 39. *Aliter ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari.* Et, *frequentare ludos*, lib. I. de Invent. c. 27. Alio modo, *celebratur domus*, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6.

Aut ERN. Ad summum] *Summum* lib. 2. epist. 1. *A te vero bis, terue summum, et eas perbreues accepi. et ad summum dicitur, Ciceronis exemplo.*

Perfugio] Hoc verbum interdum solum Cicero affert, vt hic: interdum coniungit, vt lib. 5. epist. 15. *Litteris vtor assidue. quid enim*

aliud facere possum? sed nescio quomodo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur. Et pro Archia c. 7. *Haec studia aduersis perfugium ac solation praebent.* Perfugium autem litterae sunt duobus modis: vel quod, eas dum tractamus, molestias obliuiscimur; vel quod animus, praeceptis vtilissimis conformatus, humana omnia, praeter honestum, contemnit, nihil praeter culpam extimefcit. de fructu autem, quem asferunt litterae, vide lib. 4. epist. 3. et lib. 5. epist. 13. et lib. 9. epist. 2. et 3.

Conscientia consiliorum meorum] Saepe hanc sententiam vsurpat, lib. 4. epist. 3. lib. 6. epist. 1. 4. 6. 10. 13. et 21. et lib. 7. epist. 3. quae rectare longum est: indicare loca, et quasi digitum ad fontem intendere, vnde hauriant, qui copiae student, satis duco.

Nisi inuidisset is] Pompeium, opinor, designat, a quo se proditum, contra datam fidem, saepe queritur.

Me enim amabas] Mea causa illum non amabas, cuius inuidiam perfidiamque nosles.

Beatus esset] Hoc dicit: Si mecum ad tuendam libertatem consensisset, neque perniciosam reipublicae cum Caesare societatem coiisset; non modo viueret, sed beatus esset, et cum eo omnes boni. De Caesare autem, et victore iam, et a quo veniam paulo ante impetrauerat, haec, vt opinor, scribere non auderet. nec inuidit ei Caesar, qui semper popularis fuit, et ab vrbe multos annos absuit, dum in Gallia bellum gereret, sed Pompeius, qui parem

parem sibi Ciceronem in senatu non ferret.

Nullius in] Lib. 7. epist. 3. Notum, inquit, tibi omne consilium meum esse volui, ut primum scires, me numquam voluisse plus quemquam posse, quam universam rempublicam. Postea autem, quam alicuius culpa tantum valeret unus, ut obsisti non posset, me voluisse pacem.

Arma] Caesaris.

Quae semper timueram] Lib. 10. ad Attic. epist. 4. Praeclara, inquit, conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe numquam, nisi diuine, cogitasse: eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego XIV. annis ante prospexerim.

Quem ego idem effeceram] In consulatu. lib. 1. epist. 9. Non offensus eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnumquam postea interruptus, afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab iis, a quibus tuendus fuerat, derelictus. Eodem illud spectat ex lib. 1. ad Attic. epist. 17. Tuo, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam.

Quauis tuta conditione] Quavis, modo tuta. lib. 6. epist. 6. Causa orta belli est. Quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferebam. Et lib. 7. ad Attic. epist. 5. Ego is sum, qui, illi concedi, putem vitius esse quod postulat, quam signa conferri. Sero enim resistimus

ei, quem per annos decem alimus contra nos. Et ad Pompeium lib. 8. ad Attic. epist. 11. Mea quae semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de urbe, meminisse te arbitror. — Prae me tui, me nihil malle, quam pacem; non quis eadem timerem, quae illi: sed ea bello civili leviora ducebam.

Rerum Africanarum] Africanus belli, quod inter Caesarem, et Scipionem ac regem Iubam gestum est.

Quid intersit, non sane intelligo] Causam infra exponit: quia non multum inter victores interfuturum putat. de Pompeianorum crudelitate, si viderent, vide lib. 4. epist. 9. et 14. et lib. 9. epist. 6.

Inter victorias non multum interfuturum] Idem lib. 6. epist. 3. et 4. item lib. 4. epist. 9. et 14. lib. 9. epist. 6.

Iniuriam] Urbe carebat Mescinius, hac illi, ut opinor, a Caesare poena imposita, quia Pompeium initio belli secutus esset. nam, quin hoc tempore fuerit in Italia, dubitandum non est; cum subiungat Cicero: ad te veniam brevi. Iniuriam igitur, quod urbe immerito careret. Sic ad Caecilianam, eadem causa exultantem, lib. 6. epist. 5. Ea natura rerum est, et temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut ceteris, fortuna esse diuturna; neque haerere in tam bona causa, et in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Et lib. 6. epist. 10. Iniuriam temporum.

Cum summam humanitatem, tum etiam tuas litteras] Naturam et doctrinam laudat: quarum

A a

altera

altera efficiat, vt pacatiore animo Mescinius iniuriam ferat; altera, vt humana omnia, cum absit culpa, ne putet in malis esse numeranda.

Sicut omnes fere] Quod reprehendere coeperat, excusat multorum exemplo. nam, *fere*, dixit, ne omnino superiorem eius mollietatem excusaret.

Vita ingenua] Quam nunc tempora eripiunt. quod enim sentimus, eloqui libere et ingenue non licet.

Beata et libera] Nunc miserrima et seruiente.

Nullum sensum] De quo tamen dubitare visus est in epist. 16. sed orationem tempori accommodat.

Si me diligis] Dubitatio videtur, quae nulla tamen est. valet enim, pro amore in me tuo, pro eo quantum me diligis, et in extrema epistola, *me velim*, inquit, *ut facis, diligas*, qui locus ex hoc dubitationem tollit.

Seruias] Et *seruire*, et *inservire*, et *indulgere*, et *obsequi* *valetudini*, dicitur. lib. 16. epist. 9. 17. 18.